

ASTROLOGUS  
MEDICUS,  
CATARRHORUM  
THEORIA ET PRAXI ASTRO-  
RUM VIM ET INFLUXUM

IN  
MICROCOSMUM,  
Deo clementer annuente,

Sub PRÆSIDIO

JOHANNIS JACOBI  
Waldschmiedt /

Medicinæ DOCTORIS, ARCHIATRI  
HASSIACI, & PROFESSORIS Ordinarii,  
*paucis exhibens thesibus*

RESPONDENTE

JOH. PHILIPPO FABRICIO,  
Hersfeldensi Haffo.

*die 8. Martii h. locoq. consuetis.*

SD 65.

089

MARPURGI CATTORVM,

Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.  
ANNO MDC LXXXI.



Beschafft aus Mitteln der  
Stiftung Volkswagenwerk

SD 65/89  
I R O  
D, AMPLISSIMO atq;  
TATISSIMO  
WILHELMO

itterodt/

OECONOMIÆ AULICÆ  
QUÆ SPANGENBERGÆ EST, QUÆSTORI  
GRAVISSIMO. COGNATO SUO DILECTISSIMO,  
FAUTORI ACPATRONO SUO, SUMMA OBSERVANTIA  
PROSEQUENDO.

ASTROLOGUM HUNC MEDICUM

In grati animi memoriam, observantiæ suæ symbolum  
ulterioris amoris incitamentum, nec non sui & studiorum  
suorum ulteriorem recommendationem cum omnigenæ  
benedictionis appreciatione.

Dedicat & offert

JOH. PHILIP FABRICIUS, B.

70/213x1



I. N. 7.

I.



ATARRHALEM dicimus defluxionem, quando Humor lymphaticus nunc crassus nunc tenuis in parte aliqua hæret, & à circumjacentium partium calore agitur sese magis extendit ad partes subjacentes, unde dolor, rubor, & alia supervenire solent symptomata. Frequentius tamen ejusmodi defluxionibus illæ corripuntur partes, quæ glandulis lymphæ secretioni dicatis abundant, quæque aëris externi injuriæ magis sunt expositæ, quales præter ipsum cerebrum sunt Nares, Fauces, Trachea & collum, à quarum partium diversitate Catarrhi diversas sortiuntur appellationes juxta vulgatos SCHOLÆ SALERNITANÆ versiculos

*Si fluat ad pectus dicatur Rheuma catarrhus,  
Si ad fauces bronchus; si ad nares esto coryza.*

II. Veteres in doctrina de catarrhis quam longissimè à veritatis aberrârunt semitâ, statuentes materiam catarrhorum in cerebro vapores ex inferiori ventre attrahente eosque instar alembici Cucurbitæ superimpositi condensante colligi, à quo postmodû humores in partes capiti subjectas depluant, hinc multa de parte mandante & recipiente, de facultate expultrice irritatâ aliisque operosè scripserunt, quæ apud *Riverium* legi possunt. Enim verò hæc veterum opinio & autoritas mira quadam credulitate apud vulgus ita invaluit, ut hodierno adhuc tempore doctissimi etiam Medici, quibus insignes hi errores ex fundamentis anatomicis & physicis innotuerunt, ad sensum vulgi loqui & captui ipsorum se

A acco-

*Catarrhi defluxio*

*ejus subjectus*

*referens de catarrhis  
partibus*

*Medici loquuntur in  
ad vulgum & sensum  
vulgi*

accomodare cogantur: Quamvis extra omnem dubitationis aleam positum nunc sit, materiam catarrhalem à cerebro ad fauces, palatum vel etiam nares non delabi, id quod jam dudum pulchrè ostendit *Schneiderus in suis de catarrhis Tractatibus.*

III. Veritati itaque magis consonum est, statuere, humorem catarrhalem à glandulis plenitudine nunc aggravativâ nunc irritativa onustis eructari, indeque in partes subjacentes imbris instar depluere, quas omnium accuratissimè depingunt *Varihonus & Stenonius*, & nuperrimè *celeberimus Villisius capite de respirationis organis*; quò Lectorem brevitatis gratiâ remittimus.

IV. Verum ut ad ipsum fontem & scaturiginem accedamus propius, dicimus mineram universalem esse Massam sanguineam, particularem verò succum nutricium seu lympham in humorem excrementitium degenerantem, quatenus ipsum alimentum non raro corruptionem induit & ex digestionis vitio excrementi magis quam nutrimenti præ se fert faciem, quod *Helmontius* primò in scholas introduxit.

V. Sanguinem autem hîc affici & ex eo veluti Pandoræ pyxide inausa illa prodire symptomata vel ex solâ febrî illâ continuâ, lentâ tamè, catarrhos sæpissimè concomitante evidentissime patet, non jam de aliis dicâ symptomatibus eo tempore plures etiam partes infestantibus. Quandoquidem turbatâ sanguinis inmixtione non possunt non plures heterogeneæ particule in glandulosas partes effundi, crassitie, acrimonia vel aliis millemodis peccantes, quæ membranas glandulosas his in partibus, quas catarrhalibus defluxionibus magis obnoxias esse superius docuimus, lacerantes & irritantes, sternutationem frequentem, sputationem continuam, copiosi mucirejectionem, molestam raucedinem & tussim in principio siccam, post humidam magis, producant.

VI. Ipse autem succus nutricius, per tubulos partium solidarum & ipsa vasa lymphatica trajici solitus, si fortè in motu suo impediatur, salva adhuc sanguinis crassi existente, & ob glandularum molestam irritationem à peregrino fermento cum aère advecto introductam diutius derineatur & spasmodica quadam expulsionem eliminetur in partes vicinas, catarrhi auctor quoque existit. Id quod chymicorum & aurifabrorum funesta exempla comprobant, aërem

aërem fumis metallicis acrioribus imprægnatum in laboratoris haurientium.

VII. Porro cum multi humores ad statum volatilitatis eVecti per cavitates & fibrarum interstitia hinc inde oberrare soleant, & per insensibilem transpirationem tenues abeant in auras, quoties his vaporibus ob pororum coarctationem & insensilium meatuum constrictionem liber denegatur commeatus & transitus, ut concentrati humores iterum mentiantur, non potest non statim in illa parte tensio, tumor, rubor &c. oriri, hinc angina, odontalgia, aliq; prodeunt catarrhi, qui ab antiquis cerebro acceptum feruntur. Quanta enim singulis ferè horis per insensilem transpirationem abeat sub vaporum forma humorum copia, id argumentis ab Experientia desumptis probat *Sanctorius in Medicina sua statica.* Ut haut immeritò inde concludamus, materiam Catarrhi in corpore semper reperiti aliâ tamen sub formâ incedentem, quæ quamdiu liberè cavitates & meatus transit, nullas œconomix animali creat molestias, verum si in motu suo præpediatur, passim catarrhales fluxus excitare apta nata est.

VIII. Atque adèd terminum à quo ut loquuntur communissimè sanguinem esse statuimus. Vias autem per quas catarrhalis fluit humor dicimus esse vasa sanguifera arterias nempe & venas, quorum pori ita vitiantur ut vel nimis fiant patuli vel saltem secundum figuras suas ita pervertantur, ut peregrinas transmittant particulas nutritioni ineptas, quantitate & qualitate autem molestissimas.

IX. Definitur nunc catarrhus, quod sit humoris alicujus è vasis sanguiferis effusio, in parte aliqua solida recepti ejusdemq; poros & tubulos obstruentis. Vel quod sit decubitus seu effusio lymphæ plus minus viciata: in partem quandam, quam definitionem nobis suppeditat *Celeberrimus Esmüller.*

X. Verum enim verò triumphum fortè ante victoriam canimus, nondum enim solidis rationibus evictum esse videtur, cerebrum ex mandantium partium numero proscribi debere, cum multa adhuc sint, quæ contrarium primò præsertim intuitu suadeant. Nonne enim gravativus capitis dolor catarrhos vel præcedit vel comitatur? Nonne eo tempore obstructio in narium radice palam ob-

*Definitio catarrhi*

servatur, quod evidentissimum est argumentum, os cribriforme ab humore pituitoso nunc ita obstrui, ut non citra difficultatem aliquid amplius à cerebro in nares transmitti possit. Nonne eo tempore, quò catarrhos vexare solent, somnus laboriosus & turbulenta insomnia nobis obtingunt, quidni ergò frigidam æquè ac humidam cerebri intemperiem accusabimus? Accedit quod alia adhuc via magis expedita ad oculum demonstrari possit, per quam reverà humor ex cerebro ad nares vel palatum transferri videtur, nempe infundibulum istud omnibus Anatomicis satis superq; notum, cui glandula præst ab officio pituitaria dicta, est cum natura nihil frustra unquam fecerit, ipsi hac in parte consuetam suam velle adimere prudentiam non minus imprudentiæ esset atq; argumentum, quam eam summis etiam proscindere injuriis.

30. XI. Committi fallaciam in duabus prioribus rationibus non causæ ut causæ, dolor enim capitis gravativus qui vel præcedit vel comitatur catarrhum ab eadem causa nempe sanguine pituitoso vel etiam seroso proficiscitur, cujus progeniem catarrhum esse supra docuimus, non vero idem numero humor à cerebro transmissus postmodum defluxionem catarrhalem demum producit. Et obstructio illa circa narium radicem non est intra sed extra cranium ab humore lymphatico ibidem hærente & tubulos porosq; istius partis obstruente suborta. Os enim cribriforme membranæ aded arcè cinctū est, ut ne aerem quidem transmittere possit. Quod si refocillatio quædam subitanea ab odoriferis percipiatur, non statim putandum quasi illa effluvia ad cerebrum usque per nares interveniente ossè hoc cribriforme penetrent, sed quod extra cranium sanguini alacritatem addant, ipsisque humoribus circumstantibus vigorem concilient, ut recollectis quasi viribus spiritus alacrius munia sua subeant. Deinde ubi sanguis loco subtiliorum particularum plures crassiores in angustias & mæandros meningum & cerebri effundit, cerebrum obstruitur, dolor gravativus à tubulorum pressione supervenit, somnusque laboriosus & turbulenta producuntur insomnia. quæ tamen phænomena nihil aliud comprobant, quam quod ipsum cerebrum in catarrhalibus defluxionibus sapius compatiatur. Quod tandem infundibulum & usum glandulæ pituitariæ concernit, sciendum quod una cum subtilioribus sanguinis

nis particulis quæ spirituum animalium nomine veniunt, pauca quoque crassiores per cerebri substantiam rapiantur, quæ tandem motum suum deperdetes propria gravitate ad fundum tertij ventriculi subsidunt, & exinde per infundibulum ad os spongiosum relabuntur, ubi leve saltem momentum mucosarum superadunt. Nequaquam ergò mucus iste copiosus qui ibidem reperitur à cerebro excernitur, sed per vasorum innumerorum ad basin narium existentium poros sub forma vaporum secernitur, & postquã volatiles partes evanescere reliquæ accedente aere frigido externo inspissantur & formam mucis istius nanciscuntur.

XII. Neque obstat quod caput præ aliis partibus defluxionibus sit obnoxium, utpote quod acri frigido liberius exponitur, ejusque injuriam experitur frequentius, quod eò facilius fieri potest, cū gaudeat sensu magis exquisito præter nervos valde teneros breves & rectilineos, qui spiritibus turgidi acceptam impressionem brevi itinere promptissime ad commune sensorium deferunt, ipsiq; humorum affluxui sic exoptatam præbent occasionem.

XIII. Causas remotiores dividimus in naturales & non naturales. Inter naturales agmen ducit temperamentum frigidum & humidum, quando nempe in sanguine chylus crudior multæque aquosæ particule prædominium obtinent. Suum quoque confert symbolum ætas senilis juxta aphor. 31. §. 3. Hippocraticæ. *Senibus sunt destillationes.* Quod sex res non naturales Medicis dictas attinet, inter illas primas acri deferimus, non tamen eo statim negantes, cibos crassos concoctu difficiles, frigidos, humidos, potum fœculentum, acidum, animi pathemata, studia à prandio statim vel cœna inita aliaque viam ad fluxus catarrhales reddere magis expeditam. Sed cum videamus, quod catarrhi certis anni temporibus plures diætæ leges cœteroquin accuratissime observantes corripiant, causam multis etiam communem merito præ aliis accusamus, consentiente Hippocrate §. 3. aphor. 12. & 13. Cujus hæc sunt verba *Post astatem siccam & aquiloniam & autumnum pluviosum & australem ad hyemem sunt rucedines & gravedines: Rursus post hyemem australem & pluviosam ac ver siccam & aquiloniam.* Equis autem inficiabitur, aërem tellurem nostram ambientem, & cui nos innatamus, quotidie ab effluviis è solo & sa-

Alia nam

temperamenti  
hæc sensu

Io ope certæ materiæ ætheræ ab astris transmissæ elevatis mille mor-  
dis mutari, quorum vi in sanguine nostro peregrinas fermentatio-  
nes morbosasq; secretiones & præcipitationes naturæ nostræ infen-  
sissimas producit, ut variæ hinc inde in tubulis partium solidarum  
& præprimis glandulosis etiam membranis obstructions & lym-  
phæ depravationes fiant; quod senis cujusdam mihi apprime noti  
confirmat exemplum, qui toto vitæ suæ curriculo eo anni tempore,  
quo rosæ efflorescunt, contumacissima gravedine, tussi & raucedine  
semper laboravit, quæ symptomata tamen transacto efflorescentiæ  
tempore sponte iterum cessare solent.

observat

XIV. Neque opinari velim, quod hi æris effectus tot in  
oeconomia animali turbas excitantes in primis vulgò dictis quali-  
tatibus tantum quærendi sint, cum aliæ adhuc potentiores in eo  
reperiantur, inter quas salinas potissimum incatarrhis excitandis  
efficaces deprehendimus, Sal quoddam æri bene constituto in-  
esse cum sale sanguinis nostri apprime conveniens hæctenus ab aliis  
demonstratum, cui colorem suum purpureum sanguis nitorum  
suum spiritus animales & blandam suam aciditatem fermenta vis-  
cerum debent. Verum cum ær varias patiat alterationes ipsum  
etiam hoc sal variis modis à natura sua deflectit & peregrinam in-  
ducit naturam, hinc pro diversitate temporum anni salina corpu-  
scula plus minus æri inesse, ex plurimis constat phænomenis, dum  
vim suam corrosivam in peregrinantium labiis & naribus sæpe læ-  
pius exerunt. Quod verò peregrina hæc salia certis anni tempo-  
ribus è solo & sale evocentur, à sale sanguinis nostri quam longis-  
simè abludentia, nullam aliam cum *D. Fhurmanno de Catarrhu* a-  
gnosco causam, quam quod tellus motu suo annuo [si ex Coper-  
nici hypothefi ita loqui mecum velis] Nunc his cum astris fixis,  
nunc cum aliis jungatur & ab iis recedat, quodque reliqua  
vagabunda lumina variis suis aspectibus, quadraturis, oppositio-  
nibus conjunctionibus &c. Certam inter se faciant dispositionem  
in certo ordine ad certa puncta, hinc enim peculiaris ær, & ma-  
teria certa subtilis aliter figurata & alia magnitudine prædita certo  
tempore ad nostrum transmittitur hæmisphærium, quæ denuò alias  
atque alias ex gremio terræ elicit particulas, easque cum ære com-  
municat, cum quo attractæ per inspirationem vel per alios cæcos  
meatus

Acum.

meatus admittæ sanguinem propria sua inficiunt acrimonia, vel  
sales sanguinis nostri præcipitando lympham sive succum nutritium  
degenerare faciunt, ut inde variæ catarrhales producantur deflu-  
xiones, præprimis in illorum corporibus, quorum vasa sanguife-  
ra eorundemque pori peregrino huic fermento facilius auscultant,  
vel qui membranas valde sensibiles nacti sunt, ob quam causam in-  
fantes catarrhis magis obnoxii sunt quam ulla alia ætas.

XV. Ex priori thesi abunde satis patet, vim illam & effica-  
ciam æris in producendis Catarrhis ab astris potissimum proficisci,  
cum juxta varias constellationes luminumque phases eum variè al-  
terari sentiamus, hinc restare adhuc videtur, ut ostendamus, quo-  
modo potiora Catarrhi symptomata per suas causas clare & perspi-  
cùè explicari possint. Occurrit autem statim divisio catarrhorum  
in frigidos & calidos, quos tamen diversis in subjectis diversæ in-  
dolis & naturæ ab una eademque causa oriri statuimus. Ubi enim  
humor crassus & viscidus præcipitatur, nihil vel parum salis fixi ha-  
bens, catarrhum frigidum adesse dicimus, tuncque dolor saltem  
gravativus percipitur, nisi forte sal admixtum fuerit, quòd rigi-  
ditate sua ac acumine ad recurvos tubulorum hærens mæandros  
dolorem lacerativum vel pungitivum producat. Quod si sanguis  
jam dum acris sit & ab ære mixtione & motu contrariante altere-  
tur, ut pauca balsamicæ particule quæ ipsi adhuc insunt dissipentur,  
tum reliquæ catarrhum calidum & dolorem valde exquisitum ex-  
citant. Et cum à fermento illo peregrino sanguis incidatur & sub-  
tilifetur, plures etiam subtiliores particule cerebro suffundun-  
tur, quæ rapidiori suo motu vigiliarum statum inducunt. Sitis  
intensissima oritur ob feri defectum aliò translatum, vel etiam ob  
obstructionem tubulorum faucium, motus tremuli fibrillarum  
imminutionem inferentem, occasione cujus mens sitis ideam con-  
cipit. Interea Tracheæ glandulæ imbris instar serum plorant,  
unde raucedo & tussis convulsiva, quod si copiosius & imperuosius  
in bronchia depluat, suffocationis metum infert: Quæ omnia gra-  
viora redduntur, quando in reliquos quoque respirationis Muscu-  
los acres deponuntur exuvia. Et cum mixtura sanguinis à pere-  
grino illo fermento in cordis thalamis ledatur, febris accedit, cir-  
ca vesperam & noctu præprimis cum tussis reliquorumque sympto-  
matum

" "

catarrhy Fr. & Cal Fr.

Symptomata Catarrhi Sitis

miculo. t. p. i. d. suffocatiois metus

febr. catarrh.

Ha pallida.

matum incrementis affligens, ob poros eo tempore magis conniventes, & parciolem noctu quam interdium transpirationem. Urina subinde est pallida ob salium defectum, quæ in glandulas capitis maximam partem effunduntur.

XVI. In via salutis & mortis ambulantes Prognosin exhibet *Celsus*, inquit: Si ex capite [hoc est glandulis] in nares destillet humor, leve est: si in fauces pejus; si verò in pulmones pessimum. Ipse etiam *Hippocrates* iudicat catarrhos senibus infestos. Et qui nares habent humidiores, minus prosperam uruntur valetudine.

XVII. Indicationes à lymphâ nunc crassa & viscida, nunc tenui & acri peruntur. Laudantur in principio fluxus pilulæ catarrhales laxativæ, de Succino *Cratonis*, *Francosurtenses* methodo *Hasteriani* exhibitæ. Fortiora purgantia ubi præsertim trachea & pectus afficiuntur cum *Cratone* exulare jubemus, quæ in morbis pectoris citra omnem rationem & prudentiam tanroperè à nonnullis commendantur. Quod si tussis valde urgeat & vox rauca sit, venæ sectio concedi potest, quam in se ipso administrari passus est *Riverius*. In gratiam totius massæ sanguinæ cauteria, vesicatoria & scarificationes admittuntur, quæ admodum prodesse solent ob causam tamen longè aliam quam veteres & cum his vulgus persuasum habent. Multa enim & hæc æquè ac in causarum doctrina falsâ nituntur hypothesi, multaque magna postulata obtruduntur. Varia quoque Emplastra & Cerata capiti prius rasò imponuntur, inter quæ laudem potissimum meretur Emplastrum cephalicum *Schröderi*. Vertex oleo succini inungitur. Quorum omnium exoptatus successus non in retentione catarrhi, sed in obstructionis refectione lymphæque correctione potissimum consistit. Profunt etiam pediluvia, non quod attrahant [terminus medico philosopho indignus] sed quia sanguinis acrimoniam temperant, & poros deobstruendo transpirationem promovent, in catarrhis valde proficuum.

XVIII. Nisi magna fibrillarum nervearum obstet irritatio, incidentia & attenuantia tum externè tum internè exhibenda. Inter externa locum habent Sturnatoria, nisi forte catarrhus oculi bellum indicat, Masticatoria & apophlegmatifantia, si faucium

con

conditio illa admittat; Interna præcipua sunt Aqua Asthmat. *Rudolphi Imperatoris*. Veronic. Hyssop. oxymell scyllit. Spirit. ammoniaci cum sale armoniaco destillatus, Sperma ceti & alia apud Practicos obvia. Ast ubi ob continuam valdeque molestant membranosarum partium vellicationem nullæ conceduntur induciæ, nimia illa sensilitas temperanda per Opiata & incrassantia, quæ prudenter exhibitæ omnem absolvunt paginam: Huc spectant Morfili de Thure, pilulæ de cynoglossa, Philonium Romanum, Theriaca recens, Theriaca cœlestis, diacodiumrum liquidum tum solidum, Cachunda Indica, Bolus armenia &c. Similem quoque fortuntur effectum suffimigia maturè in usum vocata, quibus impetus catarrhales ad miraculum usque refrœnari possunt.

XIX. Suus etiam debetur honos sudoriferis, quæ omnium optimè peregrinum illud sal è sanguine foras eliminant, & debitam restituunt mixturam, ut plus his proficiamus quam cathartici frequentius exhibitis. Idem esto iudicium de diureticis, quæ serua & consequenter sal in illo dilutum exoptato successu educunt, eorumque usus in curando & præservando non est exiguus. Hinc oleum scorpionum magnum etiam foris lumbis illitum tantoperè profuit in infante catarrho cum tussi & febris laborante apud *Reverium in observ. 55. Cent. 1.*

XX. Fonticuli magna cum spe hinc inde excitantur, quorum tamen abusus paucis quoque notandus: Multi enim persuasum habent, humores istos, quos è fontanellis quotidie manare vident, esse meros excrementitios, & tantum catarrhis subtrahi, quantum quotidie hos per rivulos foras amandatur. Verum ingens profectò subest error, qui facile detegi potest, si in memoriam revocentur, quæ alibi docui de sanguine, nempe quod sub forma sanguinis nec vasis egrediatur nec nutriat. Hinc rectius dicitur, materiam illam ichorosam vel purulentam, quam fonticuli lachrymantur, esse succum nutricium cum paucò cruore quem dilacerata vascula capillaria effundunt permixtum. Adeoq; in illis qui lautius & largius cœnant aliquem præstare possunt effectum fortè non contemnendum; dandum tamen aliquid consuetudini & credulitati, ut enim nulla ferè datur religio, quæ non suas habeat (sanò tamen sensu) superstitiones, ita in ipsa medicina plura ejusmodi idola

B

repe-

reperiuntur, quæ magnam sibi pariunt inter homines confidentiã, ut in ludicris his remediis ægros habeamus valde morigeros, in seriis verò & quæ in cura omne ferunt punctum semper contrarios. Nolo tamen author esse, ut quis hisce motus ulcuscula illa statim occludere velit, id quod citra incommodum vel etiam periculum fieri nequit, consueta enim et si deteriora insuetis minus nocere solent.

XXI. De Remediis, quæ præservacionis gratia exhibentur, notari adhuc volo, illorum usum Planetarum conjunctionibus & distantis, nec non solis per zodiaci signa motui accommodari debere, nisi magnas in œconomia animali velis excitare turbas, vel saltem inanem ludere operam.

XXII. Sed quid de Nicotianæ fumo pronunciandum, qui multis, catarrhis vexatis, prodesse videtur? In Cura palliativa locum sibi famosus hic fumus vendicare potest, & vires ejus quas Patroni pollicentur plerumque in fumum abeunt, quis enim inficiabitur peregrinas has atomos in sanis etiam facillimè raucedinem & ruffim excitare? Quod si prætendatur, virulentiam illam corrigi, vel potius virtutem exaltari posse, aromaticis oleosis, & aliquis sic jactetur effectus, is vel consuetudini vel solis illis aromaticis conferendus est, nec aliam fortè ob causam Tabaci usus conceditur, quam ut proverbio satisfiat. **ÆGROTANTIBUS GRATIÆ.**

XXIII. Tandem cum omne ferat punctum diæta, quæ à plurimis tamen negligitur, ut vera *Arabis* illius sit admonitio, quam in consilio Regi suo præscripsit, homines, si sic se ipsos gubernarent, ut suorum equorum curam habent, minus ægrotaturos, sedulo ejus præcepta inculcari debent. Eligatur itaque aer serenus, vitetur ventosus, pluviosus, valdè frigidus & calidus, vel si evitari non possit suffimigiis in conclavi corrigatur. Quilibet caveat Solis & Lunæ radios, hi enim catarrhum multiplicant, monente *Gratone in suis consiliis*: Caput & Thorax diligenter pannis muniatur, ut tamen non æstruet, neque frigeat nimium. Exercitium sit moderatum. Singulis diebus studeat excernere superfluitates fœcum & urinæ. Somnus sit nocturnus, diurnus enim pessimus; Panis sit exoprino frumento, bene fermentatus sed sine sale. Carnes sint facilis digestionis, boni nutrimenti & paucarum superfluitatum.

Evi-

Evitentur allata, Cœpacea, caseosa, reliquã enim lacticiñia convenire videntur. Post cibum, quod *Celsus* præcipit, neque scribendum neque legendum, nec quicquam aliud molendum, quod mentem exagitet, quibus enim caput infirmum est, iis ne cogitationem quidem à cibo tutam fore idem *Celsus* judicat, maxime itaq; à cœna ab iis temperandum, nec in multam noctem lucrubrandum. multo minus inter commestiones sedendum. Pro potu ordinario commendamus cerevisiam sassafratam, à fortiori verò abstinentium. Vinum quandoque concedendum præprimis extra paroxysmum, quamvis difficile valde sit etiam in ipso paroxysmo aliquid certi determinare, cum eum & profuisse & nocuisse compertum habeamus. Notatu dignissima est historia, quam narrat *Willisus* de juvene catarrhis valde obnoxio, qui quoties vitium bibit generosum, egregium semper percepit levamen, forrè quod sic transpiratio aucta fuit. Sic quod uni nocet, alteri nonnunquam prodest. Habeat itaque medicus rationem febris & ruffis, & tunc facile determinare poterit, quid ægrotanti profuturum.

XXIV. Animi pathemata cane pejus fugienda; animo vive pacato, tuaque forte rerum quumque cum virtute junctarum conscientia contentus. Talis in animo tuo sit status, qualis supra lunam: **IBI SEMPER SERENUM.**

XXV. Restat nunc ut fidem in limine disputationis hujusdatam liberem, astrorumque vim & efficaciam in Microcosmum & præsertim fluidas ejus partes paucis adhuc ostendam, quam si probavero, nullus dubito, quin ipsa Astrologia judiciaria magnam inde fœnerari possit lucem & confidentiam, in quam varii necio cujus seculi vitio irrepsérunt errores, ut viris doctis indigna judicetur & ad aniles proscribatur fabulas. Ut ut enim casta ac munda olim fuerit, hominum tamen vel improbitate vel inficitia ita depravata ac corrupta nunc est, ut vel ad nomen ejus piæ horreant aures, astrologusque non alium ferè sonet, quam vanum, superstitiosum, impostorem reipublicæ perniciosum. Vide *Schotti cursum Maibem. lib. 10. de Astrologia*

XXVI. Ut itaque firmo stemus talo, nec titubante pede scopi nostro excidamus, argumenta quedam tum ex ratione tum ab experientia desumpta in scenam introducã. Quod fortè tan-

ti laboris opus non erit , cum facile consentientes mihi pollicear eos omnes , qui vel semel ad harmoniam inter macrocosmum & microcosmum in variis juxta phasēs planetarum variasque constellationes alterationibus conspiciendam attenderunt. Perpetua enim veritatis regula manet *Hermetis Trismegisti*: Quod est superius est sicut inferius.

XXVII. Primum itaque argumentum desumo à naturâ astrorum præcipue autem fixorum , quæ cum ignea sint naturæ , non possunt non ignea per ecclipticam continuò expirare effluvia , indefinitæ figuræ , magnitudinis & motus , pro astrorum etiam diversitate diversa , quæ in aëre intercedente condensatione vel rarefactione varias tempestates , in gremio telluris verò variis cum salibus mineralibus fermentantia stupenda exhibent phænomena , & sub schematicismo vaporū plurima corpuscula à centro telluris versus superficiem protrudunt , quæ cum aëre corpora nostra permeantia non possunt non peregrinas fermentationes & alterationes ibidem excitare , & cum astra , non obstante distantia , radiis suis in habitantium oculos noctu agant , nihil etiam obstat , quo minus nonnunquam morbofo sigillent sanguinem caractere.

XXVIII. Radiationes illæ (quod alterum est argumentū) ubi primas jã deferimus Soli , à corporibus solidis , in quæ incidunt & reflectuntur , aliam nanciscuntur cursus formā & insimul pro diversitate superficiēi istorum corporum , quæ solem aspiciunt , iterū varii vapores diversi generis & naturæ , non parum cooperante igne centrali , quem non solum in Luna sed in aliis etiam planetis , fortè similem illi qui in centro terræ latet , supponimus , cum illis radiis reflexis ad hæc inferiora transmittuntur , majoremq; sic nacti energiam vel viribus suis exhausti phænomena in his inferioribus & sublunaribus exhibent , & in eo dicimus planetarum consistere influentiam non solum in alia sed etiam in nostra corpora: Radios enim mille modis reflecti posse , eorumque vim nunc intendi nunc imminui probant specula ustoria , nec non visivi illi radii qui ab adstantis amici oculo inflammato versus oculos in eum aliquandiu intentos reflectuntur , unde patet quod plurimi morbi astrales à variis planetarum inter se invicem aspectibus , conjunctionibus , oppositionibus &c. in corpore humano producantur , & quod ipsa in solita circa novi-

lunium

lunium vel plenilunium superveniens sanguinis fermentatio , quando mulierculæ tributum lunare solvunt , à nulla alia causâ quam astrorum influxu dependeat , inter quæ quoad emissionem fortè prædominium obtinent Sol & Luna , in modificatione autem planetæ reliqui.

XXIX. Corruit sic argumentum in contrarium productum , quod ferreum alias & adamantinum audit , à distantia illa & immenso spatio quod est inter orbem nostrum & siderū vorticibus desumptū ; in fluidis enim corporibus ubi præsertim situs accedit convenientia nunquam effectus in distans impediri possunt , æquè enim facile aliquid à corporibus cælestibus in sublunaria intercedente aëre , corpore fluidissimo , adjuvante lumine , quod in pressione consistit , vibrari & transmitti potest , ac effluvia nunc grata nunc virulenta & inimica intercedente corio in chirothecis plures per annos etiam per universum terrarum orbē transportantur. Et qualis est proportio inter unicum granulum chermes vel colocynthidis , & aliquot hæminas aquarum , quæ ab ipsis inficiuntur , talis est , & fortè major adhuc , siderum respectu nostrum tellurem inhabitantium. Si excipias , moleculas illas à sideribus emissas & paucas fore & insensibiles , respondeo , & morborum causas insensibiles esse , effectus vero sensuum examen effugere non posse vide elegantissimam *ET Mulleri dissertationem inscriptam parva magnorum morborum initia*. Quantitatem quod attinet , nec hæc satis potens est , ut fermentum aliquod in profundioribus latens tubulis semper excutere possit , sed sufficit certa materia ætherea , quamvis tanta in copia non influat : sic in febris ardente variolarum fomes è latebris suis non excutitur , quamvis eo tempore major copia materiæ ætheræ corpori insit , & mulier extra consuetum fluxus mensium tempus stans ad focum plus incallescere , & copiosorem admittere potest materiam ætheream , neque tamen menses fluunt , nisi certa illa materia ætherea , talem determinatam in sanguine producens fermentationem , accedat , à qua sanguis ad excretionem illam mensuram demum disponitur ; sic magnes in ignem coniectus nihil virium acquirit , sed potius illas deperdit , quamvis copiosior materia ætherea ipsum permeet.



XXX. Multò minus obstat, quod aspectus, nempe revolutio, oppositio &c. momentanei sint & transitorii, solent enim non solum signa instantis aspectus præcedere, & cessante iterum aspectu manifesta effectus vestigia plures per dies adhuc in sanguine reperiuntur. Non enim statim omnis effectus sublata causa tollitur. Solis ingressus in arietem in certo fit temporis minuto, quando æquinoctium vernale constituit, & tamen aliquot diebus non dicam septimanis antè æquinoctium insignes mutationes & turbæ in œconomia animali observantur, & transacto æquinoctio aliquandiu continuantur.

XXXI. Observari autem velim influentiam illam in sublunaria non solum in lumine & calore quærendam esse, quod ipse Schottus insignis Mathem. in tract. superius allegat. p. m. 298. confitetur. *Cælum, inquit, & astra non per solum lumen & motum agunt in hac inferiora, sed per alias etiam virtutes, quas communiter influentias appellant Philosophi. Probatur, [1.] quia non omnium effectuum, quos à cælo & astris pendere certò scimus, causa reddi potest ex solo lumine, nam multi contingunt etiam quando astra, à quibus dependent, sunt infra horizontem, & nullum lumen producunt ibi, ubi effectus contingunt, ut est fluxus ac refluxus maris, qui fit à Luna etiam infra horizontem existente. [2.] Quia effectus qui Soli Luna Marti aliisque planetis adscribuntur sunt valde diversi, & tamen lumen ipsorum non videtur esse adeò diversum, cum sit in plerisque lumen Solis, receptum à planetis & reflexum ad hac inferiora, tamen si aliqui etiam abundè lumen habere videantur. [4.] Quia lumen, ut lumen est, solum illuminat, & aliquando calefacit etiam, ergo ut sidera tam diversos effectus producant, debent præter lumen habere alias virtutes; huc usque ille. Quas virtutes nos in certa materia ætherea nunc cum his corporibus magis fermentante quam cum aliis venamur, facis virium habente, ut alias atque alias sanguini nostro superinducere possit fermentationes, ut non plane sit de nihilo in exhibendis medicamentis catarthicis ad constellationes attendere. Remorantur sanè purgantia, quando luna conjunctione oppositione vel quadrato tangit Jovem, Martem vel Saturnum, ob causas tamen diversas, quas Mæbium in instr. adducit, qui videatur. Tanta nempe vis est istarum radiationum, ut sanguis ipsis auscultans nunc*

facilius nunc difficilius purgantium motum & impressionem suscipiat. Neque ità absolutè asserere audeo, omne lumen in planetis æque ac fixis tralativum esse, quamvis enim non sint corpora calorem inducentia, sunt tamen corpora splendentia, similia gemmis, chrystallo & aliis, in quibus tamen non obstante etiam duritie varia quotidie emanant effluvia, vide tract. illustris Boyle de gemmi. Adeoque forte magis apta erunt certa quædam effluvia pro diverso situ & positione emittere, non enim video quare corpora illa, in cælo superbientia effæta prorsus & inertia esse credamus, ut nervose hinc non minus quam verè scripserit celebris ille Mathematicus *Abdias Trevv*, quid opaci sub luce planetarum & siderum latere, cum diversas exhibeant colores, id quod Martis rubor & vicarii ipsius cordis Scorpii, Candor venetis & Sirii nec non Saturni pallor evincunt.

XXXII. Neque tamen induci possum, ut facile credam, quosdam planetas esse absolutè malignos, quosdam vero benignos, quam difficultatem antea laudatus *Dn. TREVV Professor Aldorsinus in Astrologia sua Medica* felicissimè solvit, de quo celeberrimo Mathematico meo quidem iudicio verè dici potest, quod de *Angelo Sala* chymico expertissimo non nemo scripsit: Quod nempe solus inter Astrologos mentiri dediticrit. Vide plura in allegato tractatu p. 11.

XXXIII. Consistit autem siderum influxus in insigni quadam sanguinis turbatione, vel amabili superaddito vigore, ut alicriores inde exsurgant spiritus animales, vel si sanguis turbetur, & hifeficiant, ac in placido suo ordine & tranquillo fluxu impediuntur. De sole equidem nemo mihi facile litem movebit. Sed an Luna in hac sublunaria agar, sibi que aliquod in Microcosmum vendicet imperium, super eo auctores inter se invicem contendunt: *Antonius le Grand* vir doctissimus & disertissimus astris omnem vim derogat, & ipsius lunæ influentiam constanter negat. Ad argumentum autem de Conchis, medullâ ossium &c. desumptum & Experimentiâ nitens nihil aliud ferè reponit, quam quod contrarius etiam affectus observari possit. Quam tamen responsionem ipsa refellit *avro-flu*, & patres familias contraria suppeditare possunt argumenta de Cancris, quos juxta phasès Lunæ plus minus succi ple-

plenos, & humoribus turgidos reperiunt. Alterum experimentum, lunarem influxum satis efficacem esse probans, à vulneribus capitis desumitur, quæ consentientibus omnibus Medicis & Chirurgis in plenilunio majori cum periculo conjuncta sunt, quam in novilunio, propterea quod cerebrum in hoc magis subsideat in illo verò magis turgeat, ipsique cranio propius sit. Et quis ex Medicorum ordine inficiabitur, omnia purgantia feliciter sortiri effectum luna decrecente exhibita, cujus infestus aspectus facit, ut omnes illo tempore nati valetudinarii sint, nec prospera valdeque constanti gaudeant sanitate, nisi forte alia potentior causa id impediverit, quod sapius laudatus *Trevv* in sua observavit familia. Quod si nunc solidis rationibus obtinero solis & lunæ influentiam efficacem, nullam video prægnantem causam, quare si non parem saltem aliquam vim reliquis planetis & stellis fixis tribuere velimus, cum majorum luminum influxum in hæc inferiora ipse etiam *Verulamius* admittat, quæ Bombardarum instar esse scribit, quamvis de minoribus valde dubitet, quæ instar arcus tantum non habere virium persuasum habet, ut per tam amplum spatium ferri queant. Non jam dicam de scarificatione & sudoriferis, quæ pariter favente luna in usum vocanda, nisi plus damni quam commodi inferre velis.

XXXIV. Constellationes variosque siderum aspectus & motus ad sanitatis conservationem vel etiam morbosam introducendam dispositionem plurimum conferre tandem Eclipsis testis omni exceptione major abunde satis contestatur. Cujus effectus causam in luminis privatione consistere puto, quod magna alias est efficacæ in corpore humano, & sanguinis circulationem spirituumque generationem non parùm promoveret. Ast quod sinistra illæ constellationes non omnibus promiscuè noceant, causa est, quod non omnium sidera natalitia æquali feriant aspectu. Si enim sideris alicujus hoc tempore influentis magna sit cognatio cum natalitio ægri, ipsa curatio erit difficilior, quod non advertentes Medici, nihil fere habent, quò curæ difficultatem variasque recidivas sæpius excusare possunt. **EXPERTO CREDE ROBERTO!**

XXXV.

XXXV. Quæritur hic qui fiat, quod medicis de subitanea atque funesta mutatione ne cogitantibus quidem, in multis tamen ægris inopinato ejusmodi & subitaneo superveniente novo morbo eventus sinister & medici prognosin & ægrotantis spem eludat? Placet mihi decisio *Abdias Trevv*, qui in ea est opinione, dari symptomata morbis supervenientia, quæ ab ipso morbo, quo cum æger consuetatur, non dependeant, vide *ibid.* 46. *disput.* 3. *Astrologie Medica.* Nempe quoties Luna ipsum gradum signi alicujus natalitii ingrediens, aut nodum descendentem, quem Caudam Draconis vocant; transiens, in radios mali cujusdam planetæ [martis præsertim aut etiam Saturni] incidit, tunc catarrhus suffocativus, Apoplexia aut similis peracurus paroxysmus inducitur, qui finem vitæ ægrotantis imponit. Tantam enim lunæ esse potentiam in tempestatibus in aëre excitandis in confesso est apud omnes Astronomos, ut ex inde concludamus similes turbas in æconomia animali pari facilitate moveri posse.

XXXVI. Antequam autem colophonem his imponam, quærere placet, quare Astrologia judiciaria juxta Ephemerides veterum instituta sæpiissime fallat? &c. Causam esse Translationem stellarum, à Hipparcho enim ad nos observatum est, solem incessanter descendere [Licet mihi juxta commune Mundi Systema loqui] ad terram, unde prævenit solstitia & æquinoctia, angustiores circulos describendo, & sic terræ continuo fit propinquior, unde obliquitas circa tropicos decrevit, hinc fit, ut interfecet Æquatorem etiam prius, quam olim. Observant enim Mathematici, quod post annum 1770 nulla stella amplius erit in Ariete, sed omnes in Tauro: Stella Tauri multæ sunt in geminis, Geminorum ferè omnes in Cancro; Cancræ multæ in Leone &c. quomodo ergo de effectibus stellarum nunc à stellis in alia signa translatis judicare Astrologus potest. Hinc magna opus est reformatione, neque tanroperè mirandum, si nostris temporibus Astrologorum judicia ut plurimum sint falsa cum nempe adherent Antiquorum scriptis, qui scripserunt de virtutibus stellarum in quo statu erant, non respicientes ad earum mutationes, quas nostris temporibus experimur. Ut quam maxime necessarium videatur, novam ab Experimenti hodiernæ petitam cudere Astrologiam, nisi cum aliis cœcutire

curare velimus. Interim hoc nostram sententiam non impugnat, non enim exinde sequitur, alia plane non influere in sublunaria, sed illa saltem nunc alios fortiri in his inferioribus effectus quam olim. Ego contentus quod studiosos Medicinæ ad consideranda sydera hortatus sim, in quo non exiguam officii partem consistere credant, nunc pauca de cometarum in foro medico effectibus annexurus sum.

XXXVII. Nolo autem hic prolixius in cometarum naturam & causas inquirere, id quod viri me longè doctiores jam præstiterunt, sed Medico magis dignum esse puto, vim Cometarum & effectum indagare, ut quos morbos, si quod habent in sublunaria imperium, & quas turbas in œconomia animali producere possint palam fiat. Sunt qui Cometarum auram Regibus solum funestam fore prædicunt, & vapores istos malignos quasi per tubum magnatum palatiis afflari credunt, ut hujus vel illius Principis ingrediantur conclave, ibique virulentiam non verò alibi exerceant. Quod Rationi & Experientiæ refragari persuasum habeo. Omnibus conspiciendus Cometa in cœlo exponitur, adeoque omnes etiam hoc tangit prodigium, in cujus effectus determinatione Experientiæ plus fidendum esse statuo quam rationi. Quod si Autoritate stare velimus, videtur equidem, effectus parum secundos Cometarum semper sequi apparentiam, facile evinci posse, id quod per innumera Exempla à *Trismegisto*, cujus Existentiæ & profundam in rebus naturalibus scientiam solidissimis vindicat rationibus *Borrichius* Noster Contra *Conringium Medicum & Politicum consummatissimum*, ad hæc tempora usque eleganti serie probat *Comes à Elisco in sphaera prima decadis de Fato*. Et Cometæ hoc seculo apparentes determinatos semper habuisse effectus ipso effectu demonstrat *M. Georg. Samuel Birling* in *Tr. Der wackere Stab des Herrn / oder frisch grügende und zur Straffe bereitete Ruyte*. Hoc anno Erfurti edito. Incipit hic Author à Cometa Anni MDC LII, pergens ad Cometæ Anni 61. 64. 65. 77. ad illum hoc anno apparentem, & ad oculum ostendit, auguria illis temporibus facta nunquam fecisse.

XXXVIII.

XXXVIII. Nihil itaque obstabit, quo minus de Cometa, quem hac hyeme non sine horrore conspeximus, in fausta quoque præflagiamus nobis tempora vel metuamus: Tales tamen potissimum morbos ab eo produci posse non sine ratione statuimus, qui insignem mixtionis sanguinis turbationem à peregrino Æthere introductam sequuntur, quales sunt Febres acutæ, dysenteria pestilentialis, Abortus, Apoplexiæ, mortes inopinatæ: imò quod sæpius fieri solet, etiam nunc metuendum, ne incognitus quidam morbus Epidemicus brevi insequatur, cujus vim non parum adaugere poterit magna illa Jovis & Saturni conjunctio, anno 83. expectanda. In quo prognostico si erravero, gratiam tamen mihi erranti habebit Lector benevolus, si contrarium accidat, in illa medicorum messe vel autumno & ego non minus in maximo versabor periculo; Id quod constanti expectabimus animo, quibus solatio est, quod sub Deo simus.

XXXIX. Sed unica difficultas adhuc componenda restat. Videtur enim impossibile, ut cometarum effectus plures post annos demum sese explicent, id quod argumento est pluviæ, ut cometæ nihil præflagire posse persuasum habeant. Verum si longissimum illud iter quod effluvia ex cometa per aërem ad tellurem nostram emeriri debent. Si temporis diuturnitatem, quæ ad evocandos vapores è telluris gremio & excitandas tempestates tum in aëre tum in œconomia animali requiritur, ad animum revocemus, & philosophico oculo reliqua intueamur fermenta, quæ non nisi temporis diuturnitate ad maturitatem & activitatem exaltari queunt, difficultas illa facillè tollitur. Præsertim cum experientia constet, ipsa venena ita preparari posse, ut assumpta non nisi longò abhinc tempore virulentiam exerceant, sic referente Dappo in India Occidentalis districtu Guatemala dicto viperæ reperiuntur, quarum sanguis foris illitus corpori humano, plures post annos tandem hominem jugulat. Poterunt itaque effluvia illa venenata hæc in inferiora ab astris sparsa lento quidem gradu vitæ nostræ insidias struere, sed tartidatem tandem funerum frequentiam compensare. Plura nunc non addo, ne falcem in alienam messem mittere videar, qui mea forte contentus vivo. Quod si alios Cometarum effectus scire de-

C 3

sideres

sideres lege Weigeli Himmels = Zeiger oder Bedeutung bey Erscheinung des ungemeynen Cometen Anno 1680, vom 6. Novembris an beobachtet. Ego hanc dissertationem, medicam magis quam pomposam & philosophicis ratiociniis refertam, finio verbis antea allegati Birlingii: Den Cometen belangent/wolte von Herzen wünschen/das er Deuschland nichts böses mitbringen oder bedeuten möchte; allein ich sehe so viel / daß neue Unruhe und sehr grosse Gefährlichkeit zugewarten. Anno 1661. berührte der gegen dem jezigen sehr kleine Comet, nur das Haupt des Adlers; und welcher Krieg und Kriegs-Geschrey wegen des Türcken folgte nicht darauff? Dieser um so viel grösser als jener durchstriche mit seinem Schwanz den Adler / daher o klärlich zusehen und zuschliessen daß etwas grosses mit Teutschland vor sey: Mehrer Indicia wil und darff nicht machen: Hannibal ante portas! die Gefahr ist vor Augen / es werden auch die vielen Wunderzeichen so bisher und noch kürzlich gesehen werden; anders nichts/als Krieg bedeuten / daß wir nicht Ursach haben/wegen beständiger Ruh und Friedens / uns süsse Gedanken und Träume einzubilden. Und darff niemand meynen/ daß solches aus bloßer Kleinmühtigkeit vorgestellet werde/ denn es saget auch ein verständiger Politicus an einem Ort: Fieri non potest, quin homini & quidem Christiano, serio singula expendenti, obrepat deliquium animi, ut acerrimi luctus necessitate, mentis in excessu clamet. Haud equidem vulgari fletu, vel citò finituris gemitibus, seculi nostri deploranda est

pravitas. Tantùm.

COROL-

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

**D**E Cometarum causa multa multi ratiocinantur, nos Cartesium hoc in passu sequimur, & cometam ex Meteorum classe proscribimus.

II.

Quod verò in via lacteâ frequentius exoriantur, forte occasionem præbuit nonnullis, ut effluviõrum cælestium corporum progeniem esse statuerint.

III.

Animus scire cupidus in admirationem rapitur, attendens quod ab Anno 1652 ad annum 81. in una cæli plaga, ejusq; parvo tractu vel districtu omnes cometa apparuerint. Quorum primus visus est in Tauro Anno 1652. Alter Anno 1661. in capite Aquilæ. Tertius in Tridano Anno 1664. Quartus Anno 1665. in Pegaso. Quintus 1677. in Triangulo. Sextus in capite Medusæ. Septimus omnibus plus barbatus in Antinoo.

IV.

Cometas aliquid præsagire & semper quid portendere nulli dubitamus. Ein Comet. Ein unglücks Prophet. Sed effectum determinare hoc opus hic labor est.

V.

Tanta astris vis inest in hæc inferiora, ut ex conceptionis & Nativitatis Themate certi quid quoad valetudinem & ægritudinem concludere liceat.

VI. Ma-

VI.

*Dantur Anni Climacterici, quid peculiare sibi præ aliis vendicantes.*

VII.

*Confectio lapidis Philosophici innititur Naturæ & artis præsidis.*

VIII.

*Nec repugnat rationi statuere, dari Medicinam uniuersalem.*

IX.

*Qui in praxi non aliter mederi nouit, quam clysterium dando, venam secando & consequenter purgando, atq; hac semper oberrat chorda, donec æger eò redactus sit, ut nimium debilis nihil præter confectionem alkermes amplius sumere possit, Carnificis, & Tonsoris non tondentis sed deglubentis meretur nomen. Ubi enim scientia academica deficit, ibi omnis quæ jaçtatur in praxi prudentia straminea est & amilis.*

X.

*Sunt tamen ejusmodi homines in fraudem tum ægrotantium tum adstantium callidi, ut responsa dent ambigua, sic enim quomodocunq; res uenerit, eam prædixisse uidentur.*

XI.

*Mathesis propterea non negligenda, quod stolidissimi homines, impostores & mendaces olim fuerint Astrologi, qui Alexandria cogebantur certum persolvere uectigal vulgo den Narrn Pfenning.*